



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

n. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

qui huc usque nullo modo adduci potuerunt ut publicis predictis precibus & 1580.
Concionibus interessent ; magnopere edoceri postulant quid ijs faciendum
censeant viri pij & docti. Nam si nullo animae periculo, aut nulla Dei offendio-
ne publico Regni sui decreto parere & obedire licet, libenter id fecerint;
Contra vero si quod in hac re periculum sit salutis aeternae aut laetae Diuinae
Majestatis, quiduis perpeti decreuerunt potius quam quidquam agere aut per-
mittere vnde Deum offendit iri aut iratum intelligent. Hae quæstio cum
multas pias & Religiosas Conscientias exerceat & cœturbet, rogandi estis om-
nes per viscera misericordiae, & caritatis quam Christus a suis omnibus exigit
ut eam palam & dilucidè quam primum expediatis quâ multi in hoc regno
implicati torquentur.

VII. Quod haec Charta compleatitur nullius nomine singulariter pro-
fertur, quia non ad unum aliquem pertinet quod hic petitur, sed ad omnes
ferè Nobiles quos Anglia habet Catholicos, quibus iam multis modis pericu-
la intentantur. His vniuersis in tua Illustrissima Dominatione magna auxilijs
spes affulget, si eadem vel Dei, vel Nobilitatis respectu agere dignabitur cum
amicis quos in Concilio habet Tridentino, ut huic quæstioni, quæ totius No-
bilitatis nomine hic adiuncta est, responsum maturum & liberatum acco-
modetur, & hoc commodè tua dominationis operâ periferatur; in quo haud
dubiè acquiescent perturbatae nunc Conscientiae, si ex te tam sancto & nobili
Patre certiores fieri possint quid patres de hac re iudicent; quamquam fortas-
sis tutum non fuerit hanc questionem publicè in Concilio proponi ne res di-
uulgata nostrorum protestantium animos exacerbet, & aliquibus periculum
accelereret, nisi tuæ prudentiae aliter videatur. Ideo tua prudentia consultius
fecerit si ita cum electis quibusdam hanc causam egerit, ut quod ipsi in hac
caula (pijssimis & doctissimis Theologis consultis) significarint, id perinde
valeat ac si vniuersi patres sententias dixissent. Cæterum hoc totum Tuæ Domi-
nationis iudicio ac arbitrio relinquere satis sit, ut ipsa quod magis in rem esse
propiciet, id libere agat. Qui in Anglia nunc sunt Theologi partim metuunt,
partim variè respondent: ideo plenè omnibus satisfaciet quod Te procurante
ex Tridento hoc respondebitur.

VIII. Pro quo vestro tam firmo, Christiano, & verè Religioso animo non
possumus non D.O.M. lummas agere gratias, & vobis maximopere gratulari. Ad postu-
lationem responsio.
Et si enim calamitatum vestrarum sensus cunctos vehementer tangat & cruciet
(ut Christiana caritas hortatur, quæ tamen necessitudinis vinculo omnes de-
uinctos & constrictos terret ut mutua efficiat membra, atque ita fratribus com-
munda atque incomoda non aliena sed propria ducat) in illis tamen est non
minima consolatio quod calamitosis temporibus istis, & in eo potissimum re-
gno in quo fides ac Religio iacent, cernimus nullo iniuriarum concursu, aer me-
tus vi, Caritatis vestræ ardorem aut fidem conuelli, aut constantiam labefac-
tari, quinimo eos vos esse qui in tanta rerum confusione, molestiarumque
turbulentissima tempestate nunquam curuaueritis genua ante Baal, non sine